



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1230. Usque Ad Annum 1248

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1764**

**VD18 90118049**

§. 34. Instauratio Cœnobiorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66268](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66268)

Sæcul. XIII.  
A.C. 1234.  
ris expediret, sacrisque concionibus liberius se impenderet, Sarisburiensis Canonici dignitatem ac thesauri custodiam suscepit: sed ut a causarum cognitione abesse sibi liceret, a Papa obtinuit.

Is viri fama ad suas usque aures perlata motus, sacrae militiae classicum canere eum jussit, addita facultate, sustentationem ab Ecclesiis, in quibus munere suo fungeretur, recipiendi: qui vero hoc favore non utens impensis suis vivebat. Talis erat Edmundus, cum e Legatis Cantuariensibus cognovit, se in Archiepiscopum electum esse. Denegato consensu, ab Episcopo Sarisburiensi obedire ferio jussus, non prius cessit, quam senexam gravem, nisi pareret, commissurum audiisset. Cantuariam delatus, & quarta verni jejunii Dominica 2 Aprilis an. 1234 in templo Christi Rege Henrico ac tredecim Episcopis praesentibus per manus Rogerii Episcopi Londiniensis consecratus, eadem die cum pallio pastoralis, quod ei providus Papa miserat, sacrificium peregit.

*Matth. Par.*  
*an. 1234.*  
*p. 335.*

c. 15.

c. 17.

§. XXXIV.

*Instauratio Cœnobiorum.*

*Matth. Par.*  
*p. 322.*  
Vacante Cantuariensi Sede Papa ad Episcopos provinciae litteras dedit monasteriorum instauracionem tractantes, quales



quales per totum orbem Christianum mi-  
 sit. Scripserat vero in hanc sententiam. Sæcul. XIII.  
A. C. 1234.  
 Comperimus, provinciæ vestræ cœnobia  
 deterrimum in statum prolapsa esse. Tam  
 solutæ disciplinæ culpa in nos ne recidat,  
 illis, quæ soli Ecclesiæ Romanæ subje-  
 cta sunt, inspectores assignavimus, & ca-  
 pita eorum & membra bonam ad frugem  
 reducturos. Porro volumus, ut etiam  
 vos aut ipsimet, aut per viros idoneos  
 monasteria vobis obnoxia lustrantes, quæ  
 ibi corrigenda videbuntur, omnia emen-  
 detis. Dabat Spoleti 9 Junii an. 1232.  
 Cœnobia soli Romæ subjecta recogno-  
 scere non Episcopos jussit, sed Abbates,  
 Cistercienses præcipue ac Præmonstra-  
 tenses, qui tam duriter ac imprudenter  
 agebant, ut multi Religiosi ad Romanam  
 curiam provocare cogerentur: ubi ma-  
 gno labore ac sumptu Censores alios im-  
 petrarunt. Demum hæc lustratio in u-  
 niversum orbem Christianum plus confu-  
 sionis, quam correctionis induxit, mona-  
 chos ubique solam S. Benedicti regulam  
 sequentes per novas constitutiones adeo  
 inter se dissimiles reddendo, ut vix duo  
 monasteria eandem agendi rationem te-  
 nerent. Ita loquitur Matthæus Paris  
 S. Albani monachus; cujus Abbas suis Id. p. 324.  
346.  
 juribus seu privilegiis nitens, ut emenda-  
 tionem eluderet, dilationem bis petiit, &



Sæcul. XIII. durante hoc negotio mortem obiit an.  
 A.C. 1234. 1235.

§. XXXV.

*Præparationes ad Concilium Græcorum.*

*Acta Nun-  
 cior. MS.  
 Vanding.  
 1233. n. 12.*

Quatuor Fratres Mendicantes ad Græcos reconciliandos a Papa missi hærebant Constantinopoli, ubi sub medium Martium a Patriarcha Germano cursorem receperunt cum litteris monentibus, ut Lescaram Imperatoris Vatacii villam peterent, quo ille se Præsules ac Patricios concilii habendi causa convocaturum spondebat, inter Nuncios id convenisse, nec eos ibi desore pro certo sumens. Reponebant isti, mirari se, quod Patriarcha loco responsi certi solum indicaret se concilium esse celebraturum, eoque ipsos invitaret. Addebant, se, ne operam susceptam perderent, atque ut charitatis bonum commune privato anteferentis impulsu sequerentur, usque ad finem Martii expectaturos esse, orareque, ut ille, quantum posset, diligentiam adhiberet. Ad finem Martii Patriarcha eis hunc in modum respondit: *Accipi vestram epistolam, quæ non mediocri me dolore affecit. Solus Nicææ sum, neque certi quidquam vobis possum reponere, cum tractatio reconciliationis ac examen fidei generale sit negotium.*